



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 125. Britanniaë Cancellarius jussu Regis carveri datus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

## §. CXXV.

Secul. XV.  
A.C. 1477.*Britanniæ Cancellarius jussu Regis  
carceri datus.*

Cum Atrebatum tormentis quateretur,  
 Calvinus Britanniæ Cancellarius *Chauvelin.*  
 Regem in suis castris adibat, ut eidem  
 Ducis sui nomine fidem obsequiumque  
 profiteretur. Verum vix equo descende-  
 rat, cum ipse, unacum toto comitatu  
 suo Ludovici jussu comprehensus esset,  
 insuperhabito pacis foedere, quod inter  
 Regiam suam Majestatem atque Britan-  
 num in Abbatia Victorix prope Sylva-  
 nectum firmatum fuerat. Jam duodeci-  
 mum diem Cancellarius in carcere age-  
 bat, demum vero illum Rex ad se venire  
 jussit, dixitque: non aliam ob causam  
 custodiæ datus fuisti, quam quod ex-  
 ploratum habeam, Ducem Dominum  
 tuum adversus Franciam clandestina cum  
 Angliæ Rege communicare consilia; cum  
 vero Cancellarius vel cum vitæ suæ peri-  
 culo in se reciperet, quod Dux ab hoc cri-  
 mine immunis esset, Ludovicus ei duas &  
 viginti epistolas ipsa Ducis manu exarra-  
 tas, & alias duodecim ab ejus Secretario  
 scriptas ac nonnisi Ducis sigillo munitas,  
 demum decem alias ab Angliæ Rege da-  
 tas exhibuit, has cum Cancellarius per-  
 legeret, attonito similis nil promptum  
 habe-



Secul. XV. habebat, quod responderet, Domini sui  
A C. 1477. chirographum probe cognoscens: quare  
 Regem obsecrat, ut hasce literas ipsi  
 committeret ad Britanniae Ducem dele-  
 rendas. Annuit Rex Cancellarii votis.

*Vid. infra*  
*lib. CXIV.*

§. 167.

*Landais Vi-*  
*tré.*

Dux vero perspectis hisce literis, in  
 suspicionem perfidiae trahebat Secreta-  
 rium suum, Landasium nomine, Victoria-  
 ci cujusdam Sartoris filium, qui per vi-  
 rios gradus tandem in paucis Ducu ca-  
 rus omnium arcanorum arbiter factus  
 est. Landasius objectum sibi crimen pe-  
 nitus a se amovit, ab illo tamen, cui hasce  
 literas deferendas dedisset, proditum  
 se fuisse suspicabatur, nec eum sua fese-  
 lit opinio; Cursor enim auro corruptus,  
 cuidam Galliarum Regis exploratori il-  
 las concessit literas, hic vero cum sigilla,  
 & scribentium manum exacte imitandi  
 arte praeditus esset, adulteratas ejusmodi  
 epistolas Cursori reddiderat, chirogra-  
 pha autem Ludovico XI. transmiserat.

§. CXXVI.

*Burgundiae Ducissae auctoritas a Gan-*  
*davensibus usurpata.*

Equidem sub imperio Burgundiae Ducum  
 Gandavenses omnibus suis privilegiis  
 exuebantur, regnante vero Philippo co-  
 gnomento *bono* adhuc acerbius habiti  
 fuere.